



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed  
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum  
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè  
continentur

**Zerola, Tommaso**

**Coloniae Agrippinae, 1680**

Mater Ecclesiae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10421**

## LIBERTAS ECCLESIASTICA.

**L**ibertas ecclesiastica non dicitur violari, nisi in privilegiis uniuersalibus concessis à Deo Optimo Maximo, vel Papa, vel ab Imperatore: unde non dicitur violari privilegium concessum alicui Ecclesiæ particulari, Innocen. & Hostias, in cap. *noverit, de sent. excomm.* hinc fit, quod si fieret statutum, quod Ecclesia non audiat super decimis, vel non audiat super decem annos, vel quod Clerici non possint declinare forum laicale, hoc esset violari libertatem ecclesiasticam. Ratio est, quia primum est de iure divino, alterum Imperatoris, tertium summi Pontificis, Bal. in *Marg.* Innoc. in *ver. Ecclesia, quest. 1.* quod notandum pro clausula Bullæ Cænæ Domini, & praxi quotidiana, vide Panor. in *c. noverit, nu. 2. de sent. excomm.* vide Bart. Socin. *cons. 55. quod incipit, Vso decreto, col. 1. in fine*, ubi dicit, quod si statuto laicorum aufertur Ecclesiæ, quod si competit & iure communi, tale statutum esset contra libertatem Ecclesiæ, vide addit. ad Innoc. in *d. cap. noverit, num. 3. §. ---* secus verò; quando violaretur privilegium alicui Ecclesiæ particulari. Auth. *cassa, & irrita, C. de sacrosanct. Eccles.* & ibi Oldrad, & Cynus.

## MATER ECCLESIAE.

**M**atrix Ecclesia, quæ dicatur, vide Abb. in *Clem. 1. num. 3. & 4. de sent. excomm.* & text. gloss. & Abb. in *cap. venerabili, de verb. sign.* ubi Parochialem Ecclesiam posse dici Matricem asserit.

## MATRIMONIUM.

**P**rimò, qui iuraverit aliquam ducere uxorem, si non subest impedimentum, eam ducere in uxorem per censuras ecclesiasticas compelli potest, *cap. ex literis, si. secundo, de sponsal.*

Secundò, quando non dubitatur de validitate matrimonii vel sponsaliorum, possunt partes, quæ promiserunt, compelli per iudicem secularem, ad observandum ea, gloss. in *cap. non est, in versi. uxorem, de sponsal.* Selva tra. de benef. 1. p. 9. 7. n. 12. Clem. de *sponsal. 1. par. c. 4.* etiamsi sine iuramento promississet, etiamsi secunda alia sponsalia, non iuramento contraxerit, quia tenetur ad prima sponsalia. Ratio est, quia obligatur sub pœna peccati mortalis observare prima, & iuramentum postea præstitum non potest, nec debet observari, cum videatur fovere peccatum, *c. veniens, & c. venientes, de iurejurand.* non obstat *c. requisi. eo* Ubi dicitur, quod cum libera debeât esse matrimonia, monendi sunt potius contrahentes, quam cogendi, cū exactiones difficiles soleant exiis frequenter habere: quia ibi gloss. in *fine* dicit, quod prius sunt monendi, & postea cogendi, & hoc maxima cum prudentia, quia multi sunt, qui ut libidinem suam expleant, promittunt cum iuramento interdum, vel sine illo, ducere miseras puellas in uxores, & postea eas relinquunt perpetuò diffamatas. Flor. Theol. 4. *Sent. de matrim. fol. 294.* Dixi, quando non subest impedimentum, quia quando quis haberet iustam causam recedendi